



<sup>כ"ט</sup>  
**G**ymnafii **C**uriani

felix ad hunc usque diem  
incrementum,

&

*reliquas, quas subiit mutationes,*

Actum intimaturus

**CHRISTONEO-  
NATO**

*sacrum*

Historicè delineat,

*atque ad*

audiendum EUCHARISTICO - VOTIVAS quasdam,

*in dicto Lyceo Orationes*

**PROCERES & Musophilos Curia-  
nos omnes**

*decenter invitat*

**M. JOHANNES CHRISTOPHORUS Weiß /  
Gymnafii Rector.**

---

*Literis Minzeliis.*







Uam felicia GYMNASIUM CURIANUM  
 hocce nostrum habuerit primordia, in pro-  
 ximo Programmate luculentius expositū est;  
 Restat, ut de felicioribus ejusdem incremen-  
 tis nunc agamus, quæ duabus pone Deum  
 niti videntur columnis: *Salutari scilicet doctrinâ*  
 & *prudenci disciplinâ*: Quibus si tertium, *favor*  
*Patronorum* accesserit, dubium non est, quin in *Ungaria* æquè ac  
*Pomerania*, aliisque locis, unde olim multi Cives Musis nostris  
 operam suam addixerunt, famæ ejus integritas perennatura  
 diutissimè sit. *Doctrina* ut salubris vigeret, sedulò curârunt  
 olim *Ephori* s. *Episcopi* Urbis hujus multum venerabilissimi, pe-  
 nes quos jus vocandi Rectores ad tempora usque *Aurelii Streit-*  
*bergeri* fuit, cujus Parens & Superintendens, postmodum Su-  
 perintendens Generalis, *Johannes Streitbergerus*, talem, ut *Widem.*  
 ad annum 1563. d. 27. Febr. habet, cum *Prud. Urbis Senatu* fecit  
 pactiōnem, ut ne sine præscitu eorum aliquem deinceps vel  
 Diaconum vel Rectorem vocaret. Seqvioribus deinde, nescio,  
 quibus præcisè temporibus, tale privilegium modò dicto Ma-  
 gistratui, à Principe Serenissimo, concessum fuit, ut binos ad  
 singulas functiones denominarent candidatos, electum postea  
 à *SERENISSIMO* vocarent, & ad præstandam juramenti obli-  
 gationem *Byruthum* remitterent, reversumque inde Superin-  
 tendens, Officiales & Senatus in Scholam solenniter introdu-  
 cerent. Quò solertius itaque in functiones Scholasticas lecti  
 sunt Viri & doctrinâ & virtutum elegantia insignes; hòc ma-  
 jora indies singulis temporibus Gymnasium sumsit incremen-  
 ta; Præcipuè si *Consilium B. Medleri* invenit locum. In *Intro-*  
*ductione* habita fuit à *Domino Inspectore* parænetica ad Præcepto-  
 res æque ac discipulos oratio, ut officium suum quisque rectè  
 faceret, traditiqve simul sunt in Confirmationem autoritatis

Scho-



*Scholastici fascēs*, (qui mos tamen in desuetudinem venit) quibus peractis accessit postmodum *inauguralis oratio*, quā *Quareus* olim *Collega*, non minus atque *Rector* auspicia muneris sui solitus est capessere, uti hoc *B. Cressij* de *Martino Turonensi Episcopo* typis exscripta oratio palam loquitur. Crevit hinc numerus Scholasticorum quotidiè, adeò, ut nec locus iis sufficeret, nec Præceptores. Quamobrem non ita multis abhinc annis, ea domus, ubi *Con-Rector* olim habitavit, quæque nunc *Cantori* vacat, *Classilocum* dederat, & *Præceptorum Collegium* ad 7. artium numerum fuit extensum, ceu illud *Leges* anno 1656. propositæ disertè monstrant. Antè Anno scilicet 1548. quatuor tantum numerabantur *Collegæ*; 1. *Jacobus Schlemmer*, *Scholæ Inspector*, & *Doctör primarius*, 2. *Johannes Streitbergerus*, tunc temporis modò *Gymnasiarcha*, 3. *Johannes Stör*, & 4. *M. Justus Ludovicus Brusmann*, de quibus hæc *Widemannns* ad dictum annum: Diese haben die freyen Künste / Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam, Arithmeticam, Musicam und Astronomiam so viel die prima Elementa derselben anlanget / samt denen 3. vornehmen Haupt-Sprachen / als der Lateinischen / Griechischen / und Hebræischen bey der Schul-Jugend wohl getrieben / auch andere gute Lectiones und Authores, in ligata & soluta oratione, it. menstruas disputationes Theologicas ac Declamationum Exercitia introducirt: Also daß dadurch unsere Schul bey Frembden / die aus vielen und weit-gelegenen Orten / auch aus Kernthen / ihre Kinder hieher schickten / sehr berühmt und ansehnlich worden ist. O egregia jam dum *Gymnasii incrementa*! si priora tempora respicias, cum ante *Helferi* tempora, Anno 1515. miraculi instar fuerit, dari *Curia* discipulos, qui *Græca* legi possent, quæ sub *Papatus* *Barbarie* paucissimis innotuerant, ut nihil æque tritum, atque illud: *Græca sunt, legi non possunt.*

*Men  
add. Ca  
et Bacc*

Non





Non tunc autem solum Argyropyli ad Reuchlinum verbum : *Græcia jam transvolavit Alpes*, fuit confirmatum, sed & nunc Dei gratia eò magis invenit fidem, quò plures sunt, qui in Græcis, Ebraicis, Syriacis, Chaldaicis aliisque Orientalibus lingvis non contemnendos fecere progressus. Nolo jactantius moderna juventutis efferre studia, ne videar in cineres majorum mejere; possunt consuli annuarii lectionum Catalogi, qui quid in Historicis, Ethicis; aliisque disciplinis noviter antiquis sit additum, dissertò pronunciant. Ex quibus ipsis, quæ sint singulorum Collegarum munia & opera simul ad oculum patet. Nec curiosius rimabor, quibus præcisè annis ad binarium, senarium, &c. numerum creverit Præceptorum Collegium. Id certum est, Anno 1528. quinque exiisse Collegas; quibus sextum se Anno 1600. ad sociare voluit Jesuiticus quidam Nebulo, qui se Simonem, Clementem de Schweidnitz in Silesia appellavit, & apud M. Gassarum, aliosque facundiâ sua ita se commendavit, ut Locati partes tradere ei omni conamine laboraverint. Contranitentibus verò Rectore & Con-Rectore, cum plurimis de Senatu, spe sua cum excideret, & hinc discederet, Matthæi Pfeil-Schmid, Typographi Curiani, velut Hospitis ipsius unica & pervenusta Filia, aliquandiu mente captâ, non leviter de Jesuita hocce conquesta fuit, utpote à quo procul dubio philtum quoddam acceperat; eoque documentum dedit, civibus nostratibus, non *omnia bona esse, quæ peregrina audiunt*. Ipse verò Nebulo fertur propè vicinum pagum *Isar*, à volucris & feris discerptus ac devoratus, nil remanente præter cranium, ossa, & laceras vestes, & testimonium Papisticum, cum tribus cantilenis Germanicis impudicis. Utrum à canibus seu lupis dilaceratus, an verò ab homicidis occisus sit, vel etiam in Ebrietate per hyemis vim perierit, latet.

Quæ



Quæ reliqua sunt, de officiis singulorum, ne actum  
 agam, ad Catalogos supra memoratos, rursus remitto, & nunc  
 ad alteram Columnam, disciplinam nempe pergo, quæ ita moderata  
 semper fuit, ne plagosi audiamus Orbilii; nec nimis lenes, quæ  
 lenitas aliquando multum nocuit. Audiamus hac de re ipsam  
 Widemannum, qui ad annum 1594. tale quid refert: Die 6.  
 Martii media nocte Frid. Sahr / Beneficiarius claustra audi-  
 toriorum fregit, fornaces utriusque Auditorii dejecit, & 36.  
 vitreas fenestras in fossam Urbis adjacentem conjecit. Latuit  
 tamen nequitiae Author post longam inquisitionem & preces  
 Sacerdotum aliquandiu, donec tandem alterâ vice pristinam  
 Comœdiam rursus acturus, in ipso facinore prehensus fuit. In  
 quo adhuc semel perpetrando animosiores procul dubio red-  
 didit Samuelis Bresselii, Culmbacensis, & Johann. Viereckel, Be-  
 neficiarii, qui Anno 1594. d. 25. Jan. nocte utrosque fornaces  
 fregerant, & lectionum tabulas in cloacam demiserant, impu-  
 nita nequitia, quorum ultimus in Xenodochiali epulo, quod  
 Rabensteiniis dabatur, calicem 20. florenis emptum furtim  
 subduxerat, & tamen citra animadversionem evasit. Sahr er-  
 go eandem impunitatem sibi pollicitus, d. 12. Julii ebrius pro-  
 more, denuò manus injecit fornaci. Accurrerunt autem Au-  
 dientes id Alumni, & deprehensum carceri manciparunt, in  
 quo ad confessionem quidem delicti, non verò Sociorum  
 potuit adigi. Post captivitatem tandem bimestrem 5. Sept. ex  
 publico carcere manè hora 6. per Licetorem compedibus vin-  
 ctus, in Gymnasiumque reductus, presentibus Exarcho, Offi-  
 cialibus ac Senatu; præcipuè verò Ecclesiae Ministris, cum co-  
 ram coetu Scholastico deprecationem culpæ edidisset, à Præce-  
 ptoribus, Locatis ac Stipendiatis virgis fuit publicè cæsus, &  
 ad refusionem damni & impensarum condemnatus & cum  
 infamiâ relegatus. Et nisi Parenti ejus, pio admodum Pastori,  
 aliquid



aliquid fuisset datum, multum severiorem poenam fuisset expertus. Longè tristior tragoedia est, quam Anno 1595. d. II. Maji Wolffgangus Langheinrich, Curienfis, & Stephanus Singer, Budisfinus iuferunt, qui temulenti per plateas nocte discurrentes, Johannem Weidner/ Lanionis Filium citrà causam transfoderunt: Supplicii deinceps poenam alter militia hungarica; pecunica alter promissa redemerunt. Haëtenus Chronographus noster, qui hæc, ut exempla lenitatis improbandæ, jure adducit, si Thomas Blebelius, Rector tunc temporis celeberrimus conscius pravitatis hujus juvenilis fuit, & connivendo eam promovit; quod si verò, ut solet evenire, à civibus ad intempestam usque noctem ministratâ cerevisiâ, in tabernis fuerunt retenti, & vigiles nocturni, quorum partibus fungi Rector non potest, in utramque aurem dormiverunt, quomodo tristis ejusmodi eventus, in numerosa juventute præcaveri à requiescente post exantlatos labores Gymnasiarcha potuerit non video. Quod super est, in disciplina Præceptores officio rectè funguntur, si ex præscripto legum, quæ prostant, juventutis delicta puniant, & commoda sic rei Scholasticæ pro virili agant; Reliqua, quibus mutandis se impares nôrunt, Deo committentes: Notum enim est, non paucos dari *turpilucricupidos*, ut Poëta vocat, qui exigui lucelli causa, nocte dieque malè operantibus subsidio sunt, & omnia condunt, teguntque, quæ à Præceptoribus jure punirentur. Quid de Icaris Academicis dicam? Quibus abrogatio nefandi Penalismi in Scholis tantum nocet, quantum nunc prodest moderatis Ingeniis in Academicis. Nam cum ad maturitatem studia sua jam paucissimi pervenire sinant, metuendus tandem priscae barbariei ex orco reditus est: ad quam non sensim nostra tempora relabuntur. Non satis igitur est, ad incrementum Scholæ, doctrinæ salubritas & disciplina; Favor etiam Patronorum requiritur, quem Col-  
legi.



legium nostrum in aliquibus maximè prædicat; In aliquibus verò adhuc dum requirit & sollicitat. Prædicandus initiò *majorum nostrorum* favor ergà Præceptores est, qui sanè Collegas Scholæ in sinu, in oculis ferè gesserunt, & Rectores non solum maximi fecère semper, sed & de digno honore, salarii aucti prompta solutione, & laborum remuneratione sedulò prospexerunt, quod ipsum maximoperè laudat *Widemannus*, qui pro scriptis *Chronicis Curiensibus* à Prudentissimo Senatu, in quorum sedebant:

- |  |                       |                              |
|--|-----------------------|------------------------------|
| 1. Salomon Planck.                                 | } Consules. Senatores | Johann Rab.                  |
| 2. Zacharias Burger.                               |                       | Arnoldus Geyer.              |
| 3. Johannes Tech.                                  |                       | Andreas Schedner.            |
| 4. Caspar Brückner.                                |                       | Conradus Weiß.               |
| 5. Laurentius Stör / J. U. Licent. Urbis Syndicus. |                       | Leonh. Greßlein / Prof. Xen. |
| 6. David Pölmann / Cam.                            |                       | Martinus Seidel.             |
|  |                       | Benedictus Käyser / Poligr.  |

Se Anno 1592. accepisse testatur magni pretii poculum, unà cum 20. florenis, & post obitum 30. florenos uxori suæ petiit, quos procul dubio impetravit. Testatur idem sollicitatio apud Serenissimum de *Auctariolo Didactri* Anno 1543. & alio tempore facta, ne propter & duros labores & exigua salaria, (wegen der Roß = Arbeit und Zeißgens Futter) Collegæ magnò cum damno Gymnasii alia officia ambiant ac circumspiciant. Quod aliquando fecisse, multis refert noster. Testatur studium in parandis commodis Collegarum domiciliis, qua in re immortaliter meritorum duorum Consulum laudamus operam, B. *Conradi Jahni*, & B. *Baumgärtelii*, qui adeò curæ habuère habitacula eorum, ut nemo ante eos alius: quandoquidem ultimus hic omnibus quatuor in cœnobio habitantibus Collegis ejusmodi paravit musea, quibus optimè uti queant, qui ante vel nulla, vel stabulis similia habebant. Nec Dominus *Joh. Laurentius Langheinricus*, sacri ærarii Præfectus jam nihil præstitit, cum & puteum probè circumcirca regi ac muniri curans, damno illi cavit, quod vidua *Erhardi Beilens* Anno 1599. d. 4. Januarii perpessa est, quæ in anteriori Scholæ puteo, ad quem aquam nocte, lucente lunâ, haustum venerat, post multas lamentationes, quas vicini quidem audivère, sed velut à spectro fortè excitatas, neglexère, miserè periit, posteroque deinceps



ceps die sepulta honestè fuit. Addit namque VVidemannus: Vnd hat dieser gar wette  
 Brunnen nur bey Menschen Gedenden vber Leut/so darein gefallen/um ihr Leben gebracht/darum man sich  
 wohl fürzusehen. Dann der Teuffel sein Spiel bisanhero sonderlich dabey getrieben und die armen Menschen  
 ins Verderben gebracht hat; Et curavit præterea, ut anthla novò instrumentò, quod  
 ocream (einen Stieffel) vocant, aucta aquam & citius & copiosius redderet, nec ita,  
 ut aliàs factum, negotia aquæ ductoribus facefferemus. Olim quidem Anno 1599.  
 d. 13. Aprilis aquilegium, alii cratera vocant, (ein Röhr-Rästlein) in area cœnobii  
 nostri, aquam è superiori cœnobio accipiens erat constitutum, sed turbida ejus a-  
 qua æque salutaris minus visa fuit, atque puteorum, admodum nitrosa, indeque  
 ea non ægrè caremus. Testatur porrò favorem liberalitas Senatus nostri sæpius  
 laudata, quâ Anno 1596. Tilemanni Stellæ Globum cœlestem, quem Gymnasio  
 donaverat, refici curârunt, & novos insuper binos globos. Anno 1691. eidem donâ-  
 runt, quorum vestigia legit ipse VVidemannus, qui Ipnæram Armillarem & alia  
 instrumenta plura, quibus Phases lunæ egregiè observare licuit, Scholæ dicavit.  
 Testatur cura Alumnæi habita. Sed de his aliisque pluribus alio tempore. Ex his  
 interim omnibus facilè constat, unde Gymnasio nostro tanta incrementa hæctenus  
 venerint? Contrà parum rei Scholasticæ conducit, quando id Præceptoribus con-  
 tingit, quod Laurentio Codomanno, de quo nolter ad Annum 1573. ista refert:  
 Als derselbe 7. Jahr lang gewesener Gymnasiarcha, sein Amt mit einem rechten Ernst und VViffen  
 verrichtet/und neben dem Herrn Pancratio, Jacob Schlemmern und andern seinen Collegem / ob  
 strenger Disciplin gehalten/ damit aber nichts anders/denn heimlichen Neid und öffentliche Bgunst  
 bey vtelen/auch bey denen/so es Ehrenhaben anderst gebühren wollen / verdienet: Ist Er uf Beförde-  
 rung des Herrn Pangratii (welscher allein Treu bey Ihm leistete / da alle andere seine Collegem  
 von Ihm setzten) Pfar-Herr im Spital worden: Hätte sonst seines Amtes / mit grossen Schaden  
 seiner Haushaltung müssen beraubet sehn/unbetrachtet seiner treuen Dienst / seiner Kunst und Geschick-  
 lichkeit. Seine Prob-Predige hat Er dieses Jahr zu S. Michael gechan/am Tag Matthiæ Apostoli.  
 Dagegen ist M. Joh. Böhring/Herrn Burgermeisters Christoph Böhrings Sohn/ Quartus Collega,  
 und Herr Jacob Schlemmer/Scholæ Rector geordnet worden / wiewohl Er dem Rectorat nicht  
 länger dann 1. Jahr lang vorgestanden. Quid mirum? si sequenti inde anno 1588. per bi-  
 nos annos, vel ob decrementum Gymnasii, vel ob idoneorum Virorum carentiam  
 vacârît Rectoratus, & idem evenerit, quod B. Lutheri tempore, ubi plurima opti-  
 maque ingenia communi proverbio: ὅσα αὖ ὀξύτορον βλέπει ψυχάριον ἰοσέ-  
 τω πλείω κακὰ ἐργάζομενον. Die Gelehrten die verkehrten/deterriti, nuncium liti-  
 ris misère, & Gymnasia maxima decremента sunt passa. / Quod malum omen  
 à nobis clementer averruncet Summus Scholarum Antistes ac Patronus Jehova,  
 cui ob incarnatum filium gratias solenni more persoluturi, post me strenas di-  
 videntem extra Cathedram se fistent 3. Juvenes, Parentum dignitate, partim in-  
 dole, ac morum probitate conspicui:

Johannes Casparus Müller / Hirsberga Variscus.


Johannes Georgius Ruß / Closchwizens.

Johannes Petrus Steffel / Selbensis.

Quos cras hora VIII. audire ne dedignentur Proceres urbis ac Muso-  
 phili Curiani, & literarum Patroni Fautoresque universi, est, quod per  
 Salutem Gymnasii oramus & contendimus. P. P. d, 10. Januarii

Anno 1695.







**G**ym  
felix

CHI

audiendur

PROCE

M. JOHA



29.  
riani  
liem

IS  
EO.

quasdam

os Curia-

RUS Weiß /

